

bus diebus valde perturbatur. Et rursus post principium libri de Aëre & Aquis. Maxime autem obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus quæ circa ventrem, neque secemus donec saltem dies decem neque pauciores præterierint. Periculosissima etiam sunt ambo solstitia, maxime verò æstiuum. Periculosum etiam vtrumque æquinoctium, maxime verò autumnale. Hippoc. etiam 4. Aphor. 14. iuxta Galenum in commento 15. vult nos docere, quoniam pacto motu corporis augeamus opus hellebori: quæ ratio videtur generalis. Galenus in libro, cui titulus est: Quos & quando purgare oporteat, tres dat regulas: Prima pertinet ad accessiones, in quarum initio per superiora, in fine per inferiora purgare conuenit: atque sic non in impari per inferna. Secunda in turgentibus, dum materia est in motu, & sic in die accessionis educenda est per locum continentem ad quem declinat. Tertia in cæteris in hora motus, cum natura cessat aut non perfecte operatur: quare in die accessionis, & in imparibus purgandus est æger. Princeps tamen prima quarti t. 2. cap. post principium, dixit: Et nō moueas in die paroxysmi aliquid quantum possibile est tibi, neque curationem facias. Ad hoc verò Gentilis adducit rationem Tadei, quæ est valida: aut enim purganda erit materia coniuncta, seu putrescens (nam de numero causarum aliàs) vel quæ nondum putruit. Si putrescens, illa in accessione ad exteriora mouetur: igitur non conuenienter medicamento educitur, iuxta Hippocratis regulam. Si autem antecedens, cum illa quiescat tam in die accessionis quàm quietis, tutius in die quietis erit euacuanda. Quia tamen Rasis 16. Con. videtur recte satis Galenum interpretatus, dicunt quoddam materia quæ est in motu ad superiores partes, leui est educenda vomitorio: & quæ ad inferiores, clysteri. Sed non videtur illud recte adiunctum: quoddam si natura torpeat, debeamus exacta die iudicatoria in ipsa purgare, non in ipsa die iudicatoria: sensus enim Galeni & rectus est, quoddam naturam recte operantem iuuare debemus semper, si indigeat auxilio. Ratio quæ solet adduci in contrarium, est, quoddam non debemus iungere in eadem die duos motus magnos, accessionem, & purgationem. Et experimentum videtur stare pro hac opinione, quia multi adeo grauiter perturbantur, vt de vitæ discrimine cogantur esse solliciti. Aëtius lib. 3. cap. 125. de veratro agens, cum regula illa ad omnes medicinas expurgantes extendatur, dicebat: In morbis in quibus sunt interualla, dandum est interualli tempore: in quartanis verò, & intestinalis fluxione vexatis, in ipsa accessione. Exquirenda est igitur ratio omnium horum, non obiter, sed diligentissima. Hippocrates & Galenus motum humorum optant ad purgationem, talem tamen, qualis est, quem ars imitari vult: sed naturæ vexationem aut debilitatem vitat. In temporum igitur mutationibus non à natura propria, sed generali, humores mutantur: & in accessionibus: quare vim natura patitur nec conuenit pur-

gatio nisi eatenus, quatenus motum tentans natura propria, à materiæ malitia vexata, nec potens perficere, iuuatur à medico: vt in vomitibus, & in secessibus per aluum in quartanis. Ex hoc patet, quoddam in æquinoctiis, & solstitiis, & temporum mutationibus, in congressibus luminarium, nullus sanus debet purgari: nam natura vim patitur. In motu autem lunæ, coniunctione, vel quadrato, aut opposito in morbis, purgare possumus: sed minus in nouilunio. Est igitur consideratio diligens habenda in omnibus, & iuuamentum motus materiæ detrimento vexationis comparandum. In motibus autem naturæ propriæ & sunt motus iudicatorij, & luminarium, semper melius est purgare, nisi in duobus casibus: vel cum natura completè agit iuxta illud quæ iudicantur & iudicata sunt: & vbi modus euacuationis nostræ à natura dissidet. Accessiones igitur mediæ sunt inter temporum mutationes, & iudicationes, vel luminariū motus: vt enim mouet, impediunt, quia sunt motus naturæ vniuersalis, non indiuidui, vt autem natura propria tentat expellere, adiuuari debet. Quare leuiter in his, & secundum inclinationem procedere debemus. Vnde Principis dictum clarum est: Hippocratis autem sententia prima est intelligenda de iudicatoriis, vt ipse dicit.

CONTRADICT. VIII.

Fœtus decem mensibus in vtero manet: Septimestris an ante CLXXXII. diem, octimestris an vitalis: Tempus motus & perfectionis temporis formationis an conueniat: Masculus an fœmina celerius formetur.

Circa præcedentia est alia difficultas, prædictis persimilis: nam cum dictum sit, rationem dierum iudicatoriorum solum in his esse veram, qui in morbo nulla ex parte delinquant: est tamen difficultas, quia in partu vbi nullus est defectus, variatur tamen terminus eius. Hippocrates namque in de Natura fœtus, hæc iuxta finem habet: Cum autem in vtero puer est, in dies fit validior: simulque ac decimus mensis iam aduenit, membranas & inuolucra rumpit, tunc pariendi tempus matri imminet. Si verò puer pariatur ante statutum tempus, deficiente nutrimento, membranas frangit & erumpit, sicque legitimum ante tempus partus fit, id est ante decimum mensem. Post pauca verò causam subiicit huius, dicens. Quod autem non est diutius fœtus in vtero decem mensibus continere ostendam: namque nutrimentum, & quo augetur post decem menses non sufficit: quoniam partus creuit qui de sanguine quod est dulcissimum sibi assumens, lactis etiam aliquantum haurit; cum igitur hæc minora fiunt his quæ opus habet, fitque iam fœtus validus ac robustus: plustaque nutrimenti quàm adsit iam desiderat, seipsum agitans, ob id membranas disrumpit. Quod